

tant, et imagines ejus innumeras, et in templis, et in privatis domibus venerantur, multisque modis grati animi sensum pro ineffabili hujusmodi dignatione Dei Genitricis protestantur. Unde devotio haec longe lateque diffusa, perque tria saecula et amplius continuata? Unde hic cultus perpetuus, et splendidus, nisi ex speciali motione divinae gratiae? Dominus autem, et verax, et sanctus, non nisi ad vera et sancta corda nostra movet: sanctus ergo est, et veritate innixus cultus B. M. V. de Guadalupe. Hoc autem cultu gratiarum actio pro B. M. V. Apparitione Domino redditur, atque ipsa Piissima Virgo, quae Tepeyacac apparuit, amore et singulari fiducia celebratur, et invocatur. Apparitio igitur vera est habenda.

Crescit hujus argumenti vis si id attendamus, scilicet quod cultus B. M. V. de Guadalupe, non intra fines Mexicanæ Nationis conclusus est. Et quidem quantum Hispanum sese aliquando extendit imperium, etiam cultus B. M. V. de Guadalupe propagatus est, quoniam in omnibus regionibus Catholico Regi subjectis, ipso Rege postulante, festum B. M. V. de Guadalupe, cum Officio et Missa propriis SS. D. Benedictus XIV celebrari concessit. Atque etiam per alias nationes, et in ipsa urbe Roma Sanctissima Virgo Maria de Guadalupe cultu est celebrata. Verum celeberrima fuit Congregatio in honorem Sanctissimæ Virginis de Guadalupe Mexicanæ, instituta in regia urbe Matritensi, in qua ipse Rex primus et maximus frater erat, cuique viri quamplurimi sapientia et nobilitate insignes nomen dedere. De hac Congregatione scripsit D. Theobaldus Rivera librum cui titulus, *Relacion y estado del culto, lustre, progresos y utilidad de la Real Congregacion, etc.* Ibi autem refert auctor quot personæ dignitate insignes, vel alio titulo spectabiles, usque ad illud tempus prædictæ Congregationi nomen dederunt: inveniuntur ergo duo Reges, duæ Reginae, duo Cardinales Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Primatus unus, viginti et unus Archiepiscopi et Episcopi, duo Generales

religionum, Canonici, et Dignitates obtinentes in Ecclesiis Cathedralibus, quinquaginta et quatuor, octo Parochi, octoginta Presbyteri saeculares, (1) quadraginta et duo Presbyteri regulares, octoginta et duo Doctores Universitatum, et laici quamplurimi nobilitate insignes; præter quos quatuorcentum nonginta et duo Congregationi erant adscripti, qui dispersi reperiebantur, sive Romæ, sive Galliae, etc., sive variis in locis Hispaniæ et Americae. Haec ita erant quando D. Riveræ opusculum prædictum typis fuit editum, quod factum est annis 1740, 1757 et 1785. (2) En quam fuerit magnificus etiam extra Mexicanam Nationem cultus B. M. V. de Guadalupe. Adhuc de hoc cultu in exteris nationibus plura dicentur.

(Videatur *Explanatio et Comprobatio historica hujus argumenti in 3.<sup>a</sup> Parte hujus Dissertationis.*)

#### ARGUMENTUM DECIMUM.

*Veritas Apparitionis B. M. V. de Guadalupe ostenditur ex approbationibus Episcoporum.*

Cum antiquissima plura mexicani archivi Archiepiscopalis interierint, ut dicitur in solutione objectionum, non requirendus est hodie aliquis de Apparitione juridicus processus Rmi Zumarraga; verum hoc non obstante, ita multipliciter, continue, et solemniter, non ab uno tantummodo, sed a pluribus Archiepiscopis, et Episcopis Guadalupensis Apparitio approbata est, ut meridianam

(1) Præter honorem Sacerdotii, alio etiam decorati fuere hi Presbyteri saeculares, dicuntur enim *Presbyteros seculares condecorados*; sed non determinatur qualis fuerit hic alius honor. Presbyteri regulares dicuntur *Presbyteros religiosos graduados*.

(2) Beristain, Bibliot, art. Rivera Guzman D. Teobaldo. Videatur hoc opusculum in Opere cui titulus, *Coleccion de obras y opusculos pertenecientes á la Aparicion, etc.*, tom. I.

lucem negare merito diceretur ille, qui Episcopalis auctoritatis fulcimentum negaret in miraculo Apparitionis.

Ipsa Rmus Zumarraga quid aliud egit nisi ut Apparitionem sua auctoritate confirmaret, quando statim ut sacram Imaginem de Guadalupe in ayatl Joannis Didaci vidit, illam humillime veneratus est, atque ut ab omnibus veneretur in Templum majus Mexiceum detulit, et primum Tepeyaquense Templum aedificavit, atque solemnissima processione sacram Imaginem de Guadalupe in illud detulit, ubi etiam pontificalibus vestitus Missam solemniter celebravit?

Verum si generaliter Archiepiscoporum et Episcoporum mexicanorum approbationem Apparitionis inquiramus, breviter dicendum, quod toties approbarunt, quoties processioibus B. M. V. de Guadalupe adfuere; quoties in ejus cultum Missam pontificalibus induti celebrarunt, quoties de ipsa Deipara de Guadalupe vel ipsi conciones dixerunt, vel dici praeceperunt, vel audierunt, vel ut ab aliis dictae typis ederentur licentiam concesserunt; quoties ad impressionem librorum qui Apparitionem enarrant aut stabiliunt, licentiam concesserunt; quoties ut libri novem; aut trium dierum orationes, aut alias quascumque orationes B. M. V. de Guadalupe continentes, typis ederentur, et inter fideles propagarentur, licentiam dederunt; quoties templa, et altaria in honorem B. M. V. de Guadalupe erigi vel praeceperunt, vel concesserunt; quoties pia legata et foundationes in ejus cultum admiserunt; quoties in publicis calamitatibus ipsam Deiparam de Guadalupe invocari jusserunt; quoties numeribus ejus templa ditarunt; quoties confraternitates in ejus honorem institui approbarunt; quoties indulgentiis concessis cultum B. M. V. de Guadalupe adauxerunt.

Apparitionem B. M. V. de Guadalupe approbarunt Antistes quando miracula approbarunt, quae ipsa Deipara de Guadalupe invocata, Dominus fecit; quando prima

vice auctoritate Episcopi Angelopolitani, qui Archidioecesim Mexicanam regebat, ad Apostolicam Sedem missum est pro impetratione festi diei 12 Decembris in Apparitionis honorem; quando Antistitem auctoritate, et subjectione debita Apostolicae Sedi, ipsa Virgo de Guadalupe Patrona Principalis Novae Hispaniae electa est, et a Sanctissimo Christi Vicario hujus Patronatus principalis confirmatio, et Officii proprii, et Missae B. M. V. de Guadalupe concessio fuere impetratae; hisque obtentis, Patronatum praedictum solemnissime fuit celebratum.

Apparitionem B. M. V. de Guadalupe continuo approbarunt Episcopi per saeculum et amplius, quoniam, ipsis scientibus, fuit publice hymnis decantata. Tandem continuo et fuit, et est Apparitio approbata ab Episcopis ab ipso tempore Apparitionis usque in hodiernum diem, quoniam ipsis vel praecipientibus, vel concedentibus, templa, et altaria in honorem B. M. V. de Guadalupe et erecta sunt, et extant; et ipsis scientibus, et fiventibus, Virginis de Guadalupe cultus est continuus et in templis, et in domibus fidelium, et publice in civitatibus, et etiam praedicatio de Apparitione est continua, et libri Apparitionem narrantes, et propugnantes approbati circumferuntur, et leguntur, et imagines Guadalupenses continuo servantur, et venerantur et in templis, et in fidelium domibus, et publice in processioibus, (1) et honorificentissime in civitatibus exponuntur in festo Apparitionis die 12 Decembris. Quid plura?

His addenda approbatio, etiam continua, Episcoporum in omnibus Dioecesibus extra Mexicanam Nationem, in quibus et templa, et altaria in honorem B. M. V. de Guadalupe sunt erecta, et ejus cultus est stabilitus, et libri de Apparitione tractantes typis editi sunt.

(Videatur *Explanatio et comprobatio historica hujus argumenti in 3.<sup>a</sup> Parte hujus Dissertationis*).

(1) Dum lege non fuerunt ablatae.

## ARGUMENTUM UNDECIMUM.

*Comprobatur firmissime Apparitio B. M. V. de Guadalupe ex his, quae a Summis Pontificibus acta sunt ad cultum ipsius Sanctissimae Virginis de Guadalupe promovendum et augendum.*

Validum quidem est argumentum, quod ad Apparitionis Guadalupensis stabiliendam veritatem desumitur ex constanti approbatione Episcoporum; at multo firmissima ipsa veritas comprobatur ex his, quae a Sanctissimis Domini Nostri Jesu Christi Vicariis acta sunt ad cultum, et honorem B. M. V. de Guadalupe promovendum, et augendum. Quae autem ad id assequendum acta sunt a Summis Pontificibus, ad quatuor capita commode reducuntur: haec sunt capita: 1.º Indulgentiarum concessio, sive confraternitatibus in honorem B. M. V. de Guadalupe canonice institutis, sive quibuscumque fidelibus, qui cultui ipsius Deiparae de Guadalupe operam darent sive in ejus templis, sive alio modo. 2.º Concessio honoris, et praeeminentiae Templo Tepeyaquensi, in quo ipsa originalis Imago B. M. V. de Guadalupe servatur, et veneratur, vel aliis templis ejusdem B. V. de Guadalupe. 3.º Confirmatio Patronatus Principalis B. M. V. de Guadalupe pro universa Nova Hispania, et concessio festi solemnissimi diei 12 Decembris, atque etiam Officii proprii, et Missae propriae in honorem ipsius B. M. V. de Guadalupe. 4.º Extensio hujus festi, etsi minori solemnitate, extra Nationem Mexicanam.

Nullatenus sperandum omnia et singula hic esse exhibenda, quae a Summis Pontificibus fuerint concessa ad cultum augendum B. M. V. de Guadalupe; nec enim est facile de omnibus notitiam acquirere, quae templis in ejus honorem dicatis in his vel illis locis a Christi Vicariis concessae fuerint. Sufficiat aliqua enarrare, cum hisce in rebus ex auctoritate vis pendeat argumenti; quae

auctoritas maxima est in B. Petri Apostoli Successoribus, qui gratiarum largitione cultum nisi recte exhibitum non foverent. Sequentia ergo attendamus.

Refert P. Florentia quasdam litteras Apostolicas extitisse, quibus confirmabatur, et indulgentiis ditabatur quaedam antiquissima Confraternitas in honorem B. M. V. de Guadalupe, erecta in Templo Tepeyaquensi; quae non alia esse potest nisi illa, de qua mentionem facit Pro Rex D. Martinus Enriquez anno 1575. Verum haec Confraternitas injuria temporis interiit, ut inquit ipse Florentia. (1)

Anno circiter 1673 vel 74 alia Confraternitas, de Ordinarium auctoritate, in honorem B. M. V. de Guadalupe in Templo Tepeyaquensi fuit erecta, eamque anno 1675 indulgentiis ditavit Sanctissimus D. Clemens Papa X; atque inter illas, indulgentiam plenariam perpetuam praedictus Summus Pontifex concessit utriusque sexus Christi fidelibus, in eadem Confraternitate inscriptis, qui templum Tepeyaquense visitarent die 12 Decembris, a primis vesperis usque solis occasum. (2) Die autem 12 Decembris Apparitio B. M. V. de Guadalupe in illo Templo celebrabatur.

Idem Summus Pontifex, anno 1675, concessit, ad tempus, ut Altare majus Tepeyaquensis Templi, in quo nemo dubitat venerari Sacram Imaginem B. M. V. de Guadalupe, privilegiatum esset pro defunctorum confratrum animabus feria secunda cujusque hebdomadae, et in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, et per octavam. (3)

Anno 1679 Summus Pontifex Innocentius XI quinque

(1) Florentia, Estrella del Norte de Mexico, cap. 35, núm. 364.

(2) Florentia, Estrella del Norte de Mexico, cap. 35, núm. 364 et 366 et 367.

(3) Florentia. Ib. núm. 369.